

infidelitate sua, videndo etiam non videre meruerunt. Iratusque est Dominus, cur in ipso deitatis contemneretur operatio: illud de divitiis sapientiae suae procuravit, ut & forma servi despicibilis haberetur, & quibus non per virtutem suam divinitas radialet: his omnimodis positus contemptui, irreverenda in ipso juxta saeculum videretur humanitas: & cum Dominum suum in spiritu Israel non receperit: cur vel fratrem suum in carne Juda reciperet & cognosceret? Neque enim aequum erat, ut qui majora subruerent, & qui sacrilegium ut volebant existimari committerent ignorantes, non homicidium facerent scientes. Denique & Jonæ signum promittit infidis: & miser quidem populus, in uno eodemque homine, servum Dei contemptor sui occidit, ut quem juxta legem suam non agnovisset ut Deum, hunc extra legem suam gentiliter damnaret ut reum. Haec itaque ignobilia passionis, velut velata sicut loquebamur operatione promeruit, cum deitatis naturam mortalitatis veste circumdat: dum apud erubescens agnitionem ejus ipse confunditur: dum quod homo de Deo sit non credit: dum ipsum denique in se hominem indefpicibilem ceteris formam, ut patiarum inclinatur: dum apud discipulos Dei verbum est, & apud principes homo verbum non habens invenitur. Unde si Dominus caeli & terrae: cujus nomen super omne nomen est, formam servi accipiens, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, in hominem se despectum velata studiose divinitate projecit: neque videri in se voluit, quod non poterat non agnoscere: quid homines observare sub specie secretae circuncisionis expediret, quos praeter naturam exemplo humiliavit & praecipio? Consulit utique facient, si etiam cum omnia fecerint dicant: Servi inutiles facti sumus, quod imperatum est fecimus: quam fiducia praesumptionis elati, ut unus à dextris, & à sinistris alius in regno ejus sedeat, postulaverint: ne illis ipse Dominus respondeat, qui illos amare amplius credebatur, nec scitis quid petatis: Quibus & statim formido passionis ab eo occipitur, quae juxta carnem humiliat elatos: quam ubi intrepide poposcerunt, recte quidem dicit illis, sedere ad dexteram, aut ad sinistram non est meum dare vobis. Nunquid nam hic se potentiae indignum esse professus est, aut omne sibi non licere testari, qui ait: Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit filio? Non est, ait, meum dare vobis, id est, sic petentibus superbe, insolenter, elate, de carnis tumore, non spiritus lenitate. Nam ego qui resisto nunc vobis, humilibus dare gratiam consuevi. Ita Dominus dum humilitatem & verbo & actu verè audientes docet: Cur in secreta parte corporis praefigurationem verae circuncisionis habere voluerit ostendit. Dixi de occulto circuncisionis, quae putavi esse dicenda: superest ut de ipsa circuncisione tractemus, quae figura sit: cur non oculo circuncidamur & manu, dicente Domino: Nam si oculus tuus scandalizat te, erue eum: & si manus tua scandalizat te, abscinde eam. Quae tanta ibi praefiguratō est, ut per unam partem corporis totus omnino homo circuncisus esse credatur: & cum hoc nos post Christum, ut Judaei faciunt, non faciamus in carne, facere tamen per eundem judicemur in corde? Veniamus ad regenerationis nostrae sacramenta caelestia, ut circuncisionem spiritualem in spiritali nativitate quaramus: & in ipsis fidei nostrae cunabulis, quo tempore circuncisio celebratur, primos vagitus sacrate repetamus infantiae: & abrenunciacionem illam qua praepitiis denudamur ante oculos collocemus: quoniam sicut qui carnaliter nascebantur in mundo, carnaliter circuncidebantur in lege: ita qui nunc ad caelorum regna generantur ex verbo, per verbum circuncidantur à mundo. Sic namque dicimus abrenunciare nos mundo & pompis ejus, quoniam quidquid est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum est, & ambitio saeculi, quae non est à patre. Illa ergo promissio & circuncisio est, quam non patimur ut servi, sed exhibemus ut liberi: nec postquam nati fuerimus celebramus, sed ut renascimur offerimus: omnique in prociectu baptismatis indumento nudati, sola sanctorum oculis confessione vestimur: nec ad speciem naturam nostram arsuram filorum veste velamus, quia in Evangelio arbor foliis exuberans, cum in ea fructus non esset repertus, exaruit: Sed cuncta carnis repudiata natura, sexus immemores, nil veremur: nec cum primo illo terreno homine, Adam ubi es? Deum fugientes audimus: sed cum illo secundo caelesti. Ego hodie genui te, Deum sequentes audimus: Praeputia itaque quae Adam transgressor acquirit, per subjectionem caelestis obedientiae respientes, naturam circuncidimus vi-

tiorum, & per unam corporalis membri formam, omnes exercentes in praeputium sensus persequimur ac truncamus. Non enim naturam, sed naturae superflua ressecamus, scientes quoniam quidquid amplius est, à malo est. Sic Domini dignationem consequimur, ut nos qui secundum carnem praeputium dicimur, id est, velut ignorantia quadam naturaliter obtekti, tamen revelata facie gloriae Domini speculemur: cum illi qui secundum carnem circuncisio dicuntur, tamen ne in legem introspectant, obtentis praefacie obcaecentur aulais. Evacuata est itaque circuncisionis figura corporea, & in vim nominis ejus tota transcendit, quando etiam sic praeputium circuncisio reputatur. Quod tunc evenit, si aut post verbum Domini, naturae hujus corruptae acquiescimus blandimentis, & denuo incentiva sequimur vitiorum: aut etiam non circuncisus in carne, eam ipsam naturam cum suis perfectis, verbum Domini dum non custodimus obtemperamus. Porro haec an ita se habeant, & fidei patrem, & circuncisionis interrogemus autorem: quoniam ab ipso utraque haec, & quae ad mentem, & quae ad corpus pertinent, processerunt: ipse nobis respondebit ex gestis: utrum ne illum Deo Judaica circuncisio, an vero nostra haec quam dicimus commendat: ac primum audit à Domino: Exi de terra tua & de cognatione tua. Sub hoc verbo juxta carnem in praeputio constitutus, à parentibus se circuncidit, & patriam naturamque omnem qua per affectum tenebatur abrupens, verbum Domini sequitur peregrinus. Hinc deinde ex conjugio sterili & anosa, id est, & contra vitium naturae, & contra conditionem deficientis aetatis, posteritatis promittitur multitudo: non considerat corpus suum emortuum, cum jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Sarae conjugis suae, cui desierat fieri muliebria, etiam si ante sterilitis non fuisset: sed in promissionem spem supponens, justificationem credendo promeretur. Prius ergo quam in carne circuncidatur, eligitur. Prius enim scriptum est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Jubet igitur Deus: Circuncidatur omne masculinum vestrum, & circuncidamini carne praeputii vestri. Addidit & significanti hujus rei, ne esset obscura. Ait enim: Et erit in signum testamenti inter me & vos. Signum ad oculos pertinet, videlicet, ut eorum esset agnitio qui non putarent cum mundialem naturam per verbum Domini respuisse: ac si qui essent illi qui Abraham fidem & virtutem operationis ignorarent, per signum velut per imaginem aliqua comparatione depictam, quid verum esset agnoscerent. Deinde & Propheta infideli populo, qui Deum ex eo quod videri non potest nollet credere, signum visibile promittit dicendo: Dabit vobis Deus vester ipse signum: Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Et ipsi Judaei cum Dominum tantum in carne conspicerent, & fidem ejus virtutibus denegarent, signum postulavit de caelo, nempe ut crederent si viderent. Deus ergo pro tempore cum Abraham posteritas paribus si posset vestigiis ingredi in fidem electionis suae, notam in signo hoc voluit esse justitiam, ut qui mundialem naturam animae respuisset, ei circuncisio carnalis appareret in corpore, ac velut per hoc quod videtur posset intelligi. Sic multa quae à Prophetis populo denunciabantur, ab ipsis prius à quibus praconabantur effecta sunt. Nudos in captivitate filios Israel esse ducendos, per prophetam iratus Dominus minabatur: certè dictum jam ad partium omnium intelligentiam poterat intrare. Vadit tamen nudus ipse Propheta per populos, & in se quod aliis vaticinabatur ostendit. Videt vulgus, non audit, & in Isaia corpore quae sibi erant ventura cognoscit. Fit signum de vate, & in libero adhuc populo amaritudinem sentit Propheta captivi. Sic Abraham designat in carne quod exercebat in mente, & per nomen membri velut virtutem circuncisionis intelligit, non per hoc signum exprimens carnis, sed signum fidei. Denique post illam carnis circuncisionem suae, si erat plenitudo justitiae, quare majora adhuc Deus in Abraham fidei experimenta querebat: cur in patrio postmodum tentatur affectu, si jam in illa circuncisione benedictionis summa tenebatur? Sed quoniam non illa virtus, sed signum jubebatur esse virtutis, quaeritur à singulari viro: utrum ne qui jam & patriae & cognationis renunciaisset, & circuncidi se passus esset, non parceret & filio? Quem ubi ad victimam non tristes exhibuit, pro digna pignoris impietate, sit carnali pietate sublimior. Lucratur orbitatem dum parricidium meditatur: & cum unico non parcat in terris, stellas pro filiis annuere jubetur in caelis: car-

nalisque despector naturae, in natura siderum collocatur: & humani contemptor feminis, pater vocatur astrorum. Sic fidelis non filio, sed praecipio, dum mandatum Domini religionem ducit esse non crimen, dum offerre Filium Deo sacrificium judicat esse non parricidium, penè meruit praevidere, quod Deus ad tentationem probandae mentis parricidium voluit offerri, sed noluit impleri. Ab hac veritate, forma Judaica circuncisionis admilla est: haec nominis erat figura, non membri. Sic naturam nostram Deus voluit denudari, ut non in nobis aut cupiditas arderet, aut ambitio sudaret, aut affectus carnes praemineret, sed ab omnibus praepitiis nos Dei amor & praesentium contemptus exueret. Dixit quidam Satyricus gentium poeta: Probatae laudatur & alget. Testimonium hoc verum est: nullus eam stipat populus, nulla multitudo ambit, homo nullus amplectitur: & in mundo isto velut in neverali domo horret, etiam necessarii deoperta quando non vestem suae habuerit dignitatis. Age si videtur, totum tramitem veritatis per patriarcharum gesta velut per viva vestigia decurramus, ut circuncisionem quae sanctificat demonstrarem. Transloca Isaac peregrinatum, quod ipsum in circuncisionis forma constitit: Rebecamque propter Philistinorum insidias forem de uxore dicentem: Quod aequae quam magni sacramenti sit, tibi existimandum relinquo. Taceo Jacob per duas annorum hebdomadas, matres duodecim tribuum servitute mercantem. Omitto ejus filios, quos per patriam benedictionem & sanctitatem, naturalis quadam necessitas continebat. Ad Job veniam, in aliam generationis lineam de Isaac germe jam prolapsam, nec inter duodecim Jacob filios hereditatum per Esau genitum primitivae benedictionis extorem, primogeniti dignitatibus expoliatum, inter Edom principes qui Deo placeret inventum. Hic tamen an circuncisionem naturalem aequanimitèr possit ferre tentatur. Fit pauper ex divite, sed hoc etiam saeculi homines contemere noverunt. Tor orbitatibus vulneratur, quot successibus gloriabatur. Exclamat forti voce, nudus censu, nudus & filiis, nudum se existit de utero matris suae, nudum etiam iturum sub terras, Dominum dedisse, Dominum abstulisse. O virum naturam saeculi respicientem, non se laichrymis, non se gemitibus, non se etiam tenebris tradidisse, sed potius detrimenta pignorum, suscepisse adjumenta meritum, dolorum victor, etiam sensu egenus, affectu fit fortior cum infirmatur, & in valle lachrymarum turrim occupat gloriatur. Ubi es in sola carne circuncisa Judaea? Confer cum hoc viro pedem: & contende gloria, atolle te majorum superba virtutibus: latuque tuum benedictis nobilium patriarcharum circuncinge nominibus: ut in te justificationum vetus illa virtus & avorum splendor appareat. Job adversum te procedit in medium, sanguinis auctores non erubescens, nec per Esau inconcessam benedictionis sortem transfusione mentis. Nam illa, nec prodesset novimus, nec obesse, dicente Domino: Anima patris & anima filii mea est. Anima quae peccaverit, ipsa morietur. Ac proinde ei spes est, quod in his vincat te omnibus, & procedit plus sibi de virtute vendicantis propria, quo minus ex gloria promittit aliena. Denique expoliatus Job bonis omnibus, nil requirit. Tu Aegyptum in cremo post manna deliciosa spiras. Illum ab spe in Deo posita, tot malorum tentamenta non avocant: te ad eam spem bonorum omnium blandimenta non provocant. Ille manum Domini sentiens benedixit in vulnere: tu virtutibus de Pharaonis jugo exuta non subjaces. Hinc illi & pro circuncisus veniam postulare conceditur: tibi velut incircuncisae Amorrhæus pater & mater ingeritur esse Cethæa: ut manifeste liqueat, & illum per virtutes operum non observantiam circuncisionis benedictionem sibi restaurasse quam proavus amisit: & te per jaetantiam circuncisionis virtutes negligente, eam benedictionem quam Jacob sola subtilitate acquisierat perdidisse. Quid enim sibi Judaeorum arrogantia non usurperet? Job iste qui Deo placuit quodammodo gentis est meae, & circuncisus est fortè quoniam de Esau circuncisio haecque generatur: licet in hoc non circuncisio fuerit praedicata, sed virtus: nec an sine praeputio vixerit, sit quaerendum, sed quod nihil labiis suis peccaverit sit tenendum: Ad alienigenas ad quos provocavit veniam, quoniam nullam nobis arborem exemplorum ager divinatorum omni ligno feracium plantariorum, nec in eo germina de vimine, sed de fruge censentur. Ostendamus in Israel gloriam peregrinam: & benedictionis germen in ligno fluxisse suo, non dicimus Ruth, quo magis confundantur in femina. Promittitur per

Prophetas de radice Jesse virga, pro nostra salute proditura: in quam flos conscenderet, qui vel solus utriusque pleni agri odore fragraret praefortibus suis: quem in odorem unguentorum super omnia aromata laetitiae oleo pater unxisset. Hic tamen Jesse aviam non Israeliticam habuit, sed Moabiticam. Cui tamen peregrinae conceditur, quantum nulla de patriarcharum germine promeretur, ut suo utero destinata benedictionis semen accipiat, & Israeli non Israelita parturitur dignitatem: cornuque populi sui, in alterius populi benedictionibus aliena suscollat. Unde istud oro promeretur? Credo, quia dicit socru suae: Populus tuus, populus meus est: & Deus tuus, Deus meus est. O virtutem viri etiam praefendam. Abraham fidem incircuncisae gentis mulier imitatur, quam virilis circuncisio dereliquit, & per aliena vestigia meritum justificationis ingreditur, à quibus majorum caeca hereditas deviauit. Deos suos Moabita contennit, cum tu Israel desideres alienos. Illa in unum Deum suorum jam oblitam conjurat, & tu post multitudinem fornicaris idolorum: hinc eligitur à Domino, hinc fit Israelita mente non genere, fide non sanguine, virtute non tribu: hinc usque adeo benedicitur, ut prophetarum tuorum mater vocetur & regum. Lucet proflus die clarius, regnum caelorum vim pati, & à vim facientibus invadi, diripi, possideri: nec justificationem gentis esse, sed vite: quando non circuncisus per frugem probitatis, aulam sanctificationis introeunt: & circuncisus in eadem aula genti, per pendenda gestorum scriptum sanctificationis amittunt. Sed rursum ad benedictum velut duodecim tribuum sanguinem redeamus, ut in eo jam tunc praecedens Ecclesiastici mysterii veritatis umbra probetur. Longum est singulorum formas enumerare sanctorum, eorumque gesta tuis filia dilectissima enarrare virtutibus: quid sit quod Joseph de domo Aegyptii regis veste projecta nudus auferit: quid sit quod hic populus mare transierit, & Pharaonis non transit exercitus, & species labentis naturae sub hominum pede mutatur. Quid est, quod ipsum mare evadentibus Aegyptum Jacob filius occurrit? Tibi haec cuncta examinanda, & juxta tuam vitam, & juxta Ecclesiae mysteria derelinquo: ut in his veritate circuncisionis arcana quam in Abraham aspicias, vacuam formam signi Judaici non miteris. Igitur quoniam strictim universa dicenda sunt, ne in longum sermo procedat, seges mihi omnis Israelitae gentis est invadenda, & in ea ipsius circuncisionis ventilandus effectus. Jesus Nave populos hereditaturus in terris, prius illa omnia velut divina plebis circuncidere jubetur examina: quasi vero non tota eremus per varias peccaminum plagas circuncisae gentis ossibus albicaret. Quid ergo jubebat hoc fieri, quod peccati meritum non sanabat? Dicit Dominus, fac tibi cultellos peccatorum nimis acutos. Quid est, quod tantopere cavet, ne habeantur obruti? Nimis ait acutos, ut videlicet non qui particulam aliquam corpusculi sui sensu doloris abscondant, sed multa lima atque usu cotis assiduo tenui acie, mortiferos sensus mentis subtiliter discriminent. Circuncidit ergo ni fallor in illis Aegyptii desiderium, murmuracionem, contumaciam, idolorum fornicacionem, consuetudinem peccandi, pro quibus iram Domini eorum sensere majores. Et illis etiam sine dubio circuncidit metum positorum ante faciem praefiorum. Nam jam antequam terras promissas sibi Jesu illas speculante vidissent, gigantes ibi esse fortissimos conquerebantur, cum quibus manus conferere formidarent. Circuncidit & oculos, ne alienigenarum conjugia contra licitum concupiscant: aliudque in illis regionibus velint possidere quam terras. Non enim si non circuncidantur, sed si haec negligant, per iram Domini moriuntur: quoniam illud signum est benedicti, non meritum benedicti. Sed pleni sunt omnes libri, plena exemplorum vetustas, quod non praefatione nescio cuius membri, sed naturae nostrae circuncisione Dominus delectatur: in qua se cum etiam ille major omnium prophetarum Joannes circuncidit, non vestitur mollibus, non exquisitis ad gulam dapibus saginatur: sed in hoc mundo penè sine mundo est, cunctam desideriorum deserens curam mundialem, setosa durum virum horridant tegmina non decorant, humifero esu, melleo tenuiter sudore futuratur: quae alia circuncisio praefantior debet inquiri? Denique hic non agnum illum quem in umbra veritatis soliti erant Judaei habere pro pascha, per quem mundi peccata non poterant aboleri: sed illum verum agnum, cujus omnis esset mortalitas cruore salvanda, relictis nonaginta & novem ovibus unam gestari pastoris veri humeris primus agno-



vit, dicendo: Ecce agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi. Illud etiam in eo mirandum est, quod eremum elegerit, Domini prædicaturus adventum, non in templis, non loquitur in plateis, multitudinem multitudini profuturus horrefcit: & cur vox est clamantis, si declinat auditor? Opus est utique multitudo doctori. Et quæ in eremo multitudo? Sine dubio nulla. Et quid faciet Propheta, qui vox est & vox clamantis? Elegit ni fallor locum, non ubi cum nullus audiat, sed ad quem populos de naturæ corrupta conversatione reducat, ut in Propheta novam vitam videntes, divinam mirari discant, seque omnibus vitiis circumcisos in eremo esse patiantur. Locus ergo ipse forma doctrinæ est, & ipsa prædicatio solitudo est virtutum. Operatur habitatio dum urbium frequentiam sollicitus relinquit auditor, & eremum à contagione mundi velut à theatro hoc voluptatum avulsus ingreditur. Prohibet denique ne Abraham patre gloriatur: videlicet quod ejus vestigia non sequantur. Certè si ad circumcissionem illam Judaicam veniamus, circumcidamur ut Abraham fuit circumcisos. Si ad sanguinem, cur filii Abraham non dicantur esse qui filii sunt? Sed & fidei pater non potest esse nisi credentium: & filii non de signo circumcissionis, sed de operis similitudine recognoscuntur. His ergo cum inhiabebatur, ne se Abraham parente jactarent: illud ostendebatur, non quia signum fidei illius, sed quia signum patrum non haberent. Tunc autem ritè filii Abraham sunt dicendi, si ad formam parentis non facie, sed vita respondeant. Si ad verbum Domini, nec patria diligatur, & filius possit occidi: cum ipse etiam totus homo illi qui pro nobis mortuus est, pari debeat charitate commori. Sic Simeon senex: Nunc dimittis, ait, Domine servum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Forma est utique quod qui Christum videt, jam sit seculo mortuus. Et hæc est circumcisio, non adhuc sub tabernaculo significationis adumbrata, sed præfiguratione veritatis occultata, etiam in lucem facis imagine expoliata procedens: quam Abraham priorum mysteriorum pene omnium initiator ostenderat, cum post verbum Domini locum sibi à filiis Heth, non ubi viveret, sed ubi moreretur acquirat. Magi quoque adorato Domino, ne cui genti, ut docuimus, præputium corporale fraudi esset ad gloriam, suis se affectibus circumcidere, cum thesauris suis, id est, secretis mentium patefactis, animorum motus mactare pro munere: eosque morbos per quos aliquid aut cupimus, aut metuimus, aut dolemus, velut ante pietatis aram & misericordiae altare foderunt, ut vel in auro, avaritia: vel in thure, idololatria: vel in mirra feret Domino subiecta mortalitas: à quo ejus utique erat captiva ducenda captivitas: & in hanc petram & sacra pecunie cupiditas, & profana errorum supersticio, & amara mortalitatis conditio, velut illis morerentur: jam pridem Babyloni Palmista præcinerat: Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram. Sub his ergo Magorum & nominibus & oblationibus, omnimodè ille divinorum operum interpellator exiit: Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quis enim jam aut aurum sibi audeat possidere, si Domini est? aut idolis thura concremare, si Christi sit? aut mortuum nisi mortuus sepelire, si myrrha jam vivi est? Denique & à diabolo velut per hanc trium aleam tesserarum Dominus ipse tentatur. Nam & continentia in fame, & religio in adorando, & vita in præcipio periclitatur. Sed facile cuncta superavit, quia pater & rex bonorum omnium thesaurorum, & sacerdos repositorum ante sæcula mysteriorum, & resurrectio destinatus fuit mortuorum. Magi tamen ex illo veteris vite reliquere vestigia: novumque iter ingressi, vacui sarcinis, non vacui benedictione cantaverunt: Revertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Nec non ille ad quem Dominus ingressus est, omni dicitur præputio circumcisos vitorum: nam & dimidium ex substantia sua dat egenis: & si cui quid fraudavit, reddit in quadruplum. Ille utique qui Dominum non poterat videre dum dives esset, nisi postquam de terra, in qua cor ipsius videbatur effecit in thesauro, sycomorom qua Dominus esset transiturus ascendit: Tunc velut de cognata necessitate à crucifigendo conspectus in arbore cognoscitur, & filius dicitur Abraham. Cur dicitur? Si erat, testimonio non egebat. Sed quoniam non omnes erant filii Abraham, qui esse credebantur: hic de opere agnoscitur filius, non de gente: & virtute, non de sanguine. Hæ circumcisiones sunt notæ de circumcissionis effectu. Jam ne vides filia, jam ne consideras

totam circumcissionem per operum formam, velut per quadam membrorum liniamenta deductam, & per actuum divinitatem quasi colorum varietate depictam: in unum tamen justificationis apicem virtutum gradibus impletam? Certè alium patriam relinquentem, nec de parricidio dubitantem: alium tanti census naufragium non curantem, nec in orbitatibus lachrymarum, imò & in putredine corporis sui de peccato potius conjugis quam suo vulnere suspirantem. Illam populos suos deosque deferentem, nec in alienam gentem in opem virilis auxilii venire metuentem. Hunc reprobationis ingressurum terras, cultellosque animorum non in ense ponentem, sed de caute facientem, ut ex se habeat petrinus quod ferreus acquirit aliunde. Alium in solitudine viam Domini preparantem, & rectas semitas in eremo facientem. Alium porro dimitti de seculo deprecantem, & pacem Domini malle quam mundi. Hos vero suos affectibus spoliatos, in auro, thure & myrrha conversationum itinere mutato, qui per Herodem venerant, per angelum redeunt. Istum etiam nunc acervos fraudum cum fenore removenstem, & Abraham filium non naturæ beneficio, sed gestorum suffragio nuncupatum: ut evidenter appareret omnem mundi naturam per singulorum operationes fuisse dimissam. Sed quoniam tanquam circa nuptialis convivii finem, pene vinum quod per patriarchas ministrabatur expendimus, & novum cepimus aquarum conversatione libare: de novis quoque utribus aliqua proferamus, ut quale sit quod receperunt, de eo quod ipsi redolent estimemus. Fervet quidem uniformiter per omnium Apostolorum mentes plenis musto pectoribus, & mensuram corpoream inundatio spirituum excedens, ebrietatem non calet gloriosam. Nobis tamen ab illo est incipiendum à quo hauriendi sitis est in choatà: ut ex desiderii magnitudine, sacre infusionis plenitudinem doceamus ex uno sitim parilem sociorum, non avara divina sobrietatis propinatione propinatam. Ecce inelytam sodalitatem. Augustum caput Petrus exultit, novi signifer testamenti & in creatione ejus primitivus: alius quod sine dubitatione loquor Abraham, nescio an major: certe quod sentio non secundus. Illi generatio larga promittitur, huic generatio pascenda committitur. Ab illo justificanda procedunt: in hoc justificata fundantur: ita quod ille sperat, hic accipit. Illi dicitur: Faciam te in gentem magnam; huic dicitur: Faciam te piscatorem hominum. Illi dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes; huic dicitur: Judicabis duodecim tribus Israel. Illi dicitur: Ut stella erit semen tuum; huic dicitur: Tibi dabo claves regni caelorum. Ac per hoc, ille fecunditate feminis benedicti impletur: hic ante semen ipsum evangelizaturus asciscitur. Abraham pro filijs claritas monstratur auctorum, sed Petro traduntur regna caelorum: videlicet ut in ea sine Petro, nec filii Abraham possint intrare. Hic ergo non quo circumcisos sit juxta gentem suam apud Dominum gloriatur, sed dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid erit nobis? Quæ sunt ista omnia apud eum, qui præter instrumentum artis piscatorie nihil habebat? omnia, inquit, utique quæ ad concupiscentias mundus ingerit, quæ præputia possunt dici, si congregantur ad lenocinia peccati: quæ vehementius præcedenda succrescunt, si cum proventus mentis felicitatis adulantur: interioreque illam mentis nostræ naturam circumvestire nituntur: ut majoribus tenebris ipsum etiam quod nobis pro lumine datum est, tenebescat. Omnia, inquit Apostolus, reliquimus, & secuti sumus te. In fidem veteris exempli nepotum virtus tam fera quam mira, per discipulum primogenitum novæ justificationis aspirat: & obsolescentibus jam pene imaginibus veritatis, Abraham reformatur in Petro: omnia se reliquisse testatur: non in alto fluctuat, artis cura non geritur, nec focus ægra sine Domino visitatur. Omnis singularis viri affectus in Christo est: hunc sequitur substantiæ contemptor, studii negligens, affinitatis oblitus: & id quod Abraham ut faceret imperatum est, hic jam fecisse non calet: videlicet ut simili circumcissione sicut virtutis hæres est, fiat hæres & gloria. Omnia, inquit, reliquimus & secuti sumus te, quid erit nobis? Hoc est dicere, totis vite prioris vitiis desectis, in forma utris in pruina jacentis, dum te sequor exarui: nihilque in hoc mundo præter te, quo impleri cuperem elegi: cujus non frustra hujusmodi fides sancti Spiritus ubertate pensatur: per quam ebrietatem novæ gratiæ in se Apostolus ipse, dum linguis infidelium infamatur agnovit. Sed & ceteri Apostoli ejusdem multi spumavere

mavere fervore, & unius botryonis superfluenti madure vindemia: qui tamen in odorem ejus nectaris ad beati Petri similitudinem cucurrerunt. Aspice illos geminum cydus in terris, nec incasum tonitruum filios nuncupatos, cymbam, linum, patremque deserentes, nec victus solitudine dubitantes, nec officii visibus inhaerentes, nec potestatem paternam reverentes, sumptu, negotiatione, affectione castratos. Quid aliud utique quam natura sæculi circumcisos veste, fluctu arida, manu sicca ære, corde pietate non molli: nudo etiam de navali patata vestigio. Credo ad eam formam, jam tunc & Moyse, ut pedum solveret vincula præceptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, Et ideo non sunt velanda quæ pulchra sunt in conspectu Domini, nec mortuis vestienda quæ vita diligit. Hunc rursus respicit de teloneo publicanum, questum dampnantem, consuetudinem respicientem, & nomen actus fidei nomine commutantem, ut ab omnibus omnino non pars corporis, sed natura profusus iniquæ consuetudinis circumcisio monstretur. Totum dicere novæ vocationis examen, nisi in similibus convenirent, & eandem virtutem haberet diversitas personarum, naturamque mundialium multitudinem licet hominum, ut tamen contemptum rerum velut salce succideret. Et quoniam satis abunde exempla & veterum protulimus & novorum; mentisque cursum ne velut cæca nocte ad ignorantie scopulos deveneret, sanctorum imaginibus quasi per sermonem cæli notandis sideribus instruximus: nunc ex obscuro noctis egressi, non solum diem & solem, sed ipsius solis & luminis lumen, sub quo errari non potest contemplerur. Illorum enim quærit ipsa multitudo judicium, & in copia formarum, necesse est ut eveniat subinde similitudo flammaram: ut spe nautis confusè attonitis per pavorem, ut lucifer vesperum, & vesper luciferum mentiatur: solis sine societate parili sola est claritudo miranda: cum dubia etiam sub nubilo à similitudine sit vindicata si paruit. Ac per hoc etiam num Dominus, quoniam carnem sumpsit, & homo esse dignatus est, aliquid tale fecerit requiramus: ut velut solem sub nubilo, ita sub specie corporali etiam id quod radiaverit admiremur: aliumque potius opponamus quam ipsum aliunde sumpsisse credamus. Quem autem alium pro fide divina humanaque in hoc sæculi pelago nunquam sine metu naufragii navigantes ad dirigendum veritatis cursum sequeremur, quam illum qui disclusa penitus parilitate sui, solus etiam cum pro nobis in nostra carne obsecratur, immensus est? Qui nec in homine potest calet, dum mortalitatis naturam substantia divinitatis exuperat: qui non elementum, sed virtus elementorum est: in quo tenemus initium & consummationem & medietatem omnium: per quem solum solis & anni cursus fuit, & stellarum dispositiones, mensium quoque mutationes: quoniam in ipso vetera transferuntur, & facta sunt omnia nova. Et cum Magorum iter ejus stella duxerit, quid mirum erit, si nos quoque gestorum ejus claritas, velut ipso thesauro immensi fulgoris instruxerit? Atque utinam ad certam dationem tanti splendoris & luminis, nostrorum oculorum avertatur infirmitas: ut ille se subtraheret & negaret, inquit? non, sed palam omnibus cælestis splendor appareat: modo ad eum sequax mens amica voluntate convertatur, in solo inveniet plenitudinem quam guttatim per singulos colligebat. Octavo die circumciditur, à matre utique quasi homo qui promissus fuerat ipsi Abraham, cum de circumcissione doceretur, dicente Domino: Et erit testamentum meum in carne vestra in testamento æterno. Dei testamentum in nostra carne esse, Domino in nostra carne dignante, quis dubitat? Illudque testamentum æternum videri, quod citharis & psalteris psalleretur, Cujus rei quoniam prolixa est disputatio, & necessaria videtur esse transcriptio, ne per ramorum copiam robur ipsum propositæ materiæ derelinquens, incastigata erret effusio: præsertim cum mihi difficilis sit naturam ejus implere quam querere, & satis superfluum merentibus brachijs laborare, quamquam ipsam materiam gracile non sustentet ingenium: & necessarium pene sit, ut & disputationibus aliquibus circumcidamur, dum de circumcissione tractamus, quando nobis ad excusandam etiam imperitiam nostram, opportunitatem materiæ ipsius præstet autoritas. Igitur ad propositum redeunt, interrogemus ipsum hominem suum: nam de Domino loquebamur, ipso qui erat in homine circumciso, cum jam secundum legem circumcisos haberetur, clamat ut Evangelista testatur: Vulpes foveas habent & volucres cæli nidus suos,

Tom. V.

ubi requiescant, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Rogo hic ubi sub Cyrino census investigatio? ubi edictum Cæsaris? ubi necessitas profundi? ubi Joseph ipsa professio? Nova ratio illic habet nihil quod descriptor inveniat, & vere. Nulla enim Dominum sæculo mancipata delectant, nec sibi usurpat quidquam quod vel Cæsari, vel mundo voluit esse captivum: docens nullum duobus Dominis posse servire. Circunciditur ergo hæreditate Joseph & Maria, nihilque sibi de mundialibus vendicat sub tributo, qui utique eis dixerat: Nescitis quia oportet me in paternis meis esse: scilicet in templo, non in sæculo: in sacrificiorum mysterio, non in malignantium concilio, in paternis utique spiritualibus: nam patrem in carnalibus non habebat. Denique de eo templo & oves abegit & boves, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. Sic templum etiam ipsum, quod figura est corporis sui, carnali concupiscentia circumcidit, ut intelligeret homo hæc sibi in sua mente esse facienda: nec sane suis parit affectibus: nam eum gladium quo alios circumcidit docendo: Si quis amaverit patrem & matrem supra me, non est me dignus: sua convertit in viscera, & sibi ipsi facit quod creditibus esse facturus cum dicit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? O mysterium! matrem Mariam sibi Dominus abjurat, cum extia verbi esset audientiam constituta, eo potissimum tempore quo verbum prædicaretur à verbo, & ipsum se ministrandum discipulis ministraret: quod apertius postmodum in illa unguenti effusione patefecit, dicendo: Me autem non semper habebitis. Irascitur ergo cum cum magistrum vita docenda non eligat, qui eam matrem per vitium parturiendus elegit, & cur ad eum quem extranei etiam tam facile interpellare possent, mater nolet intrare: nam fratres ejus necdum credebant in ipsum? Quis hic erit rogo, qui excusationem præferat aut gratiæ, aut amoris? si & Mariam merito nulla vincit, & Christum Dominum nostrum nemo superat pietate. Illa mater enim negatur à filio, ut vera illa circumcisio doceatur: quoniam magister & parens vitæ debuit vivere, prout docebat esse vivendum. Hic est ille gladius femoralis, quo Levitæ suos propinquos & proximos occiderunt: quo etiam Dominus ipse à patre jubetur accingi: quem omnes capiunt qui seipfos castraverunt propter regnum caelorum: quem gladium Dominus mittit in terras, ut filium separet à patre, filium à matre sua, nurum à forera sua. Hoc gladio etiam beatus Paulus Ecclesiam circumcidit, dicens: Reliquum est, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint: & qui emunt, tanquam non possidentes sint: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Hic totius justitiæ virtus, hic ratio est circumcisio omni carne, id est, parentum, fratrum, cognationum, affinitatum, nullum amplius amate quam Dominum: ut ad crucis imaginem Dei verbo, non ad aliquos mundi actus, moneamur affixi matrem commendare discipulo. Res loquitur ipsa, cur illa pars corporis per quam Judæus se autumat justificari, defectio adjudicata videatur: adeo ut difficilis fuerit modum adhibuisse sermone, quam argumenta requisisse: & hanc veram esse circumcissionem, si abrenunciantes mundo, ex quo juxta carnem nostra natura est, & parentibus, & quæ fidei scandalum faciunt circumcisos, oculo etiam & manu & pede, nudi & soli, debiles etiam, si fieri potest, Dominum sectemur, cantantes vere: Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: ut à Domino mereamur assumi, & corporea denudati natura, spiritualium indumentis actuum gloriosius vestiamur, scientes quoniam quod de carne nascitur, caro est: & quod de spiritu, spiritus est, dicente Apostolo: Et si cognovimus Christum secundum carnem, verum jam non novimus, in quo nobis mundus crucifixus est, & nos mundo: ut præputiis quæ sunt in superficie conversationis abscessis, nudum illud & solum nostræ generationis secretum, quod superfluis tegebatur appareat. Si enim scænum quod hodie est & cras in libanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis nos, si fide medicos non esse præviderit? Cultello itaque petri corpore nostri circumcidenda est natura. Petra autem Christus est: cujus cultellas amor est, quo crescente in nobis, sæculi desideria decrescant. Quem qui amaverit, dicit patri, non novit: naturamque circumcidens suam, nec ut patrem sepeliat mortuum, separabitur à Christo: & expoliatus veterem hominem cum actibus suis, quod præputium est, aliam naturam suæ videbit esse substantiæ: id est, ut sicut primus homo

L